DE

HEPATIS ABSCESSU

ANATOMICA QUAEDAM ATQUE PATHOLOGICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE II. M. JUNII A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ALBERTUS DICK
BORUSSO-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
GERLACH, MED. STUD.
HOOGEN, MED. STUD.
PIEPER, MED. ET CHIR. DRE.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PARENTIBUS OPTIMIS,

DILECTISSIMIS,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Pars generalis.

Caput I.

Veteribus notum jam erat, abscessus in hepate oriri posse, sed in eorum formationem, causas et diversitates parum inquisiverunt. Cum vero primum medici in corporis humani anatomia, secandis sedulo et inspiciendis cadaveribus, maiorem operam collocare coepissent, hepatis praeter cetera abscessus erant, ad quos investigandos aciem adverterent. Ex proximi seculi auctoribus, qui de hac re maxime meruerunt, memoratu digni habentur Bonnet 1), Morgagnius 2), Lieutaudus 3) et Petitus filius 4).

1) Theoph. Bonnet Sepulchretum anatomicum anat. pract. Genev. 1679.

2) Morgagni de sedibus et causis morborum 1779 Epist. XXXVI.

3) Lieutaud Histor. anat. med. rec. et suppl. locupl. V. III. 1796—1802. Gotha.

4) Memoires de l'Academie de Chirurgie Vol. II.

Jam vero hac nostra aetate Franco-Galli in augenda et amplificanda anatomiae pathologicae scientia excelluerunt, nec possumus sine magna reverentia clarissimorum virorum Bichati, Cruveilhieri, Laenneci, Louisii, Lobsteinii, Gendrini et aliorum nomina pronuntiare. Ad hanc dissertatiunculam conscribendam, Gendrini 1), Lobsteinii 2) Louisii 3) et Bonneti 4) operibus praecipue usus sum. E pluribus Anglorum operibus de hac re latius disserentibus scilicet: Lind. on the diseases of Europeans in hot climates 1775, Saunders on the structure and diseases of the liver 1805, Annesley Researches into the pathology and treatment of the principal diseases of India 1828, Clarke of the diseases on long voyages to hot climates 1778, fructus capere non potui, propterea quod librorum, quos nominavi usus, quem magna cum contentione exoptabam ac subsequebar, mihi prorsus tamen defuit. Nec minus harum dissertationum usus mihi erat negatus: Ritsch Dissert. de hepatis abscessibus a laesionibus capitis 1766, Haase de abscessibus he-

---

1) Gendrin, anatomische Beschreibung der Entzündung und ihrer Folgen. a. d. F.

2) Lobstein, Traité de l'Anatomie pathalogique. Paris 1829.

3) Louis, anatomisch-pathologische Untersuchungen aus dem Franz. von Bünger.

4) Bonnet, über die Natur und Heilung der Leberkrankheiten von Fitzler. Ilmenau 1830.

patis 1776, Zanda de hepatitide praesertim scrophulosa 1824, Richerand sur les abcès du foie, qui accompagnent les plaies de la tète, in Journ. de Medecine par Corvisart, Leroux et Boyer an. VIII, Ackermann von Entzündung der Leber und deren Endigung in Eiterung in: Bemerkungen über die Kenntniss und Kur einiger Krankheiten, Heft 6. No. I. Weissenborn, von dem Eitergeschwüre der Leber etc. 1786.

Nemo igitur, deficientibus adeo auxiliis exspectabit, ab omnibus partibus absolutam me hanc materiem esse tracturum, cum etiam si illa large suppeditantur, juveni tamen, paucos tantum annos in medicina versato, semper sit difficile, dissertationem conscribere, quae doctissimorum et peritissimorum medicorum applausu gaudeat. —

Caput II.

Hepatis morbi valde sunt numerosi diversique, ut omnium organicarum partium morbi, quarum structura est minus simplex, et quae idcirco ad conservandam vitam animalem maximi sunt momenti. Sic telae cellulosae et membranarum morbi magnam nobis varietatem non praebent, cum maxime inflammationis, suppurationis, indurationis, humoris aquosi vel mucosi collectionis abnormis et formationis praeternaturalis finibus circumscribàntur. Telae corneae morbi pauciores adhuc pathe-

matis formas amplectuntur, ut curvationem unguium, epidermidis crassitiem et exsquamationem, alopeciam et plicam polonicam. Quibus nominatis malis quam sunt majoris momenti et diversitatis intestinorum morbi, ad quorum fabricam plures telae conferunt, et quorum ipsa structura composita proclivitatem ad morbos parit, qui in mechanicis magis causis originem quaerunt. Sic icterus nasci potest, si ductus choledochus bilis vel sanguinis vel puris concrementis ita est occlusus, ut bilis in duodenum pervenire non possit; sic persaepe dyspnoea et asthma exoriuntur in iis hominibus, qui in negotiis suis materiem quandam pulverulentam inspirando in pulmones inducunt, ut est apud politores, molitores et lapicidas. Praeter fabricam complicitiorem non est etiam, in considerandis partium nobiliorum morbis negligendus consensus seu sympathia, quam habent cum aliis. Justo longius evagarer, si hunc nobiliorum organorum nexum clarius exponere vellem, quamobrem sufficiat nobis, ut, quae sequuntur, melius intelligantur, de nonnullis hepatis sympathiis uberius loqui.

Hepar certe pro ejus functione, organon purpatorium, quod nomen jam veteres ei donabant, appellari potest; quare cum organis iis quae maximam functionum similitudinem offerunt, maximum id habere consensum necesse est. Cutem igitur inter externam et hepar mihi quidem accuratissimus

videtur consensus adesse, quod praesertim hepatis morbis probatur. Johnson 1) ad hanc rem exponendam luculentissime scripsit, cum dicat, secretione cutis aucta multos hepatis morbos esse praecavendos atque sanandos, quae quidem sententia ab aliis viris peritissimis, quibus in calidis regionibus occasio data est, hepate laborantes frequenter observandi, comprobatur 2). Qui nexus ut clarius eluceat, de cutis et hepatis functionibus dicendum est. Harum partium, hepatis scilicet ac cutis secretiones in regionibus calidis maxime sunt adauctae, quod e pulmonibus non ita multum acidi carbonici ac in regionibus frigidis exspiratur, et partes carbonicae oxydatione majore celerius formantur. Sin igitur cutis secretio aliquo modo impediatur, hepar maximo sibi damno partes carbonicas secernendas in se suscipit. Notum vero est, metastases a cute in hepar non ita raro occurrere, quare inter causas morborum hepatis chronicorum herpes, scabies aliique morbi cutanei regressi numerantur. At erysipelas quoque exanthematica sagacissimorum medicorum sententia in hepate sedem agnoscit, et non raro in variolarum, scarlatinae, morbillorum, rubeolarum, miliarium esseraeque decursu apparatus biliarii affectiones observantnr. Plurimum de consensu hepatis cum cerebro scriptum est, qui revera

1) Cf. Johuson an essay on the morbid sensibility of the stomach London 1827.
2) Cf. Hasper über die Natur und Heilung der Krankheiten in den Tropenländern. Kpz. 1831. Vol. I.

etiam magnus minimeque negandus est, etsi hepatis abscessuum nimis frequentius causae in capitis laesionibus collocabantur. Itaque viri celeberrimi Morgagni Lieutaud et Louis dynamicum horum abscessuum, capitis laesiones subsequentium ortum negant, causaque primaria iis conquassatio hepatis apparet, quod propter laxiorem sui suspensionem redigi in statum morbosum dicunt, ita quidem ut in cerebro morbi causa nulla sit. Quanquam maximum hepatis et cerebri consensum esse, indiciis variis efficitur. Vide animi in se ipsum conversi, tristem sollicitamque affectionem ejus, qui ex hepate laborat, idque quod multis observatum est, animi morborum atque perturbationum propriam sedem in hepate esse. Notum est enim, si quis aut ira gravi excitatus aut moerore depressus fuerit, haud raro eum ictero ceterisque hepatis morbis laborare. Multis autem observationibus 1) probatum est, ipsam originem hepatis abscessuum dynamicam esse, effectam capitis vulneribus. Qua in re omnes hoc tempore medici consentiunt. Ceterum inter ipsum lien et hepar quidam consensus est. Hoc enim si morbis chronicis laborat, haud raro lienis quoque morbosa quaedam conditio reperitur 2). Alias minoris momenti sympathias mitto hoc loco, monuisse

1) Bertrand, Memoires sur les abscès de foie ete in „Memoires de l'Academie de Chirurgie. Tom. III.

2) Cf. Chisholm a manual of the climate and diseases of tropical countries. Lond. 1822.

id sufficiat, quod cl. Richterus prodit, eorum, qui exstincti phtisi pulmonali essent, saepe hepatis formam et conditionem abnormem reperiri.

Caput III.

Morbos hepaticos multo frequentiores in terris calidis esse quam in terris temperatis non est quod dubitetur, praesertim quum et per se haec res ad modum probabilis sit, et virorum clarissimorum virorum Johnsoni, Chisholmi, Moselei et praecipue Anneslеii observationibus satis firmata 1). Morbis qui in terris calidis grassantur, hoc proprium est, ut corporis partium liquidarum, ad quas bilis quoque pertinet, in organis maxime chylopoeticis secretio turbetur: diarrhoea quidem febresque gastricae et biliosae in his terris frequentissimae sunt. Quas ut profectas ex terrae coelique natura iudicemus, id potissimum suadet, quod qui ex nostris terris temperatioribus eo profecti sunt, regionesque tropicas incolunt, ii morbis ex aucta bilis secretione ortis, maxime obnoxii reperiuntur 2). Is qui hanc rem potissimum inquisivit, Annesley, in Indiae orientalis iis regionibus, quas hoc tempore foederati isti mercatores possident, propter morborum

1) Cf. Schnurrer's medizinische Topographie.
2) Hasper l. c. Vol. I.

magnam frequentiam numerorum quandam rationem instituit. Omnes hujus terrae morbos computans ille, ceterorum morborum ad morbos hepaticos hanc rationem effecit: 5—22:100 i. e. quibus in locis morbi hepatici rarissimi sunt, inter centum aegrotantes quinque reperiuntur, qui ex hepate laborant; in provincia vero, cui nomen est Centre-division, qua in terra Vellore et Arcot oppida sita sunt, in nosocomio inter centum aegrotos ille viginti et duos hepaticos invenit 1). Ac mihi quidem etsi quae sit in Europa hepatis morborum ratio ad ceteros morbos haud constat, in Germania certe illi multo rariores esse videntur. In nosocomio regiae hujus urbis militari, in quo unum mensem interfui chirurgi publici munere fungens, quo tempore fere centum et octoginta aegrotantium, quorum praeter syphiliticos centum admodum morbis internis laborabant, hepatis morbum nullum reperi. Idem de nosocomio nostro Charitatis valet: in stationibus, quas internas vocant hepatis morbi rariores sunt. Jam si varias hominum aetates hepatis morbis maxime obnoxias respiciamus, statuendum fortasse sic est: rariores hepatis morbi aetatis infantilis ac puerilis quam juvenilis ac virilis reperiuntur.

Nam praeter icterum neonatorum aetatis hujus tenerrimae hepatis morbi fere nulli sunt,

1) Cf. Hasper l. c. Tom. I.

quanquam ipse foetus non caret tuberculis 1), quae quidem etiam in pueris frequentius et iuvenibus atque haud raro in omnibus organis observantur. Verum ab aetatis anno vicesimo hepatis morbi frequentiores sunt. Est enim hoc quasi stadium quoddam, quo si perventum est, molliri snppurarique hepatis tubercula incipiunt. Si igitur iuvenes hepatis morbis chronicis laborant, nisi aut causa quaedam mechanica aut inflammatio acuta adfuerit, pathema plerumque videatur hepatis tuberculis tribuendum. In iis quidem, quas Louis publici juris fecit, hepatis abscessuum observationibus quinque, quarum tres sunt in hominibus factae, qui paulo plus quam annos viginti expleverant, de duobus illorum dyscrasia hac tuberculosa aperte prodita est. Annis provectiores homines frequentius hepatis morbis aliis, veluti concrementis biliariis, hepatis induratione 2) desorganisatione scirrhosa atque steatomatosa 3) laborant. Tametsi ipsi provectiori aetati hepatis tubercula non prorsus desunt. (Lobstein) Clarkius 4) in viris hepatis

1) Cf. Lobstein traité de l'Anatomie pathologique. Tom. I.

2) Cf. Baillie, Anatomie des krankhaften Baues etc. von Soemmering 1795.

3) Cf. Bleuland otuim academicum tab. XXVI. et XXVII. 1828.

4) Clarke l. c.

abscessus multo frequentiores esse quam in mulieribus observavit, quorum hanc, nisi fallor, rationem constituit 1: 33. —

Verum ut et dissertatio mea, quid complectatur potissimum, perspiciatur, et ipse ordine quodam ac via progrediar, duas facio partes, alteram anatomicam alteram nosologicam.

Pars anatomica.

Caput IV.

Ut in omnibus corporis partibus mollioribus fieri potest, ut abscessus oriantur, ita haud raro iidem in hepate quoque, organo quodam, quod propter sanguinis ubertatem maximeque sanguinis venosi copiam, propriumque suum munus, ita comparatum est, ut non solum ad inflammationes chronicas, verum etiam ad id, quod inde sequi solet, maxime inclinet. Itaque Portalus 1) etiam dixit, hepar inflammationibus propterea saepe obnoxium esse, quoniam in vasis sanguiferis venae arteriis quodammodo angustiores reperirentur. Hinc fortasse causa repetenda, quod in nostris terris acuta hepatis parenchymatis inflammatio raro observatur 2). Quum igitur hepatis abscessus ipsius hepatis inflammationem seu acutam seu chronicam subsequantur, haud ab re erit, rationem ac viam anatomicam, qua abscessus illi existant, hoc loco exponere.

---

1) Portal cours d'Anatomie Tom. V.
2) Baillie, Anatomie des krankhaften Baues.

Inflammatio hepatis incipiens bruneum ejus colorem reddit rubrum subviolaceum et simul parenchyma hepatis perspicue condensatur, quare id ipsum mollius quam in sano statu invenitur. Si parenchyma manu disrumpitur non amplius perspiciuntur puncta illa lutea, quae in hepate sano apparent. Acini ejus sunt minus distincti et pars laborans facilius frangitur. Tumor hepatis insignis fit et in ductuum biliariorum ramulis fuscus vel flavus viscidus humor invenitur. In intimo hepate striae conspiciuntur violaceo-bruneae, marmoreae, quae sanum sensim colorem adipiscuntur. Aucta inflammatione coloris rubor adaugetur, simulque striae illae majores sunt, magis distinctae et maculas intersertas exhibent, quae livido colore praeditae sunt. In his locis parenchyma caret densitate naturali, fracidum fit, ut acini fere plane evanescant. Quarum macularum pars media molliri incipit, et tum humor serosus vel viscidus luridusque invenitur. Fieri autem potest, ut hae maculae per totum hepar dispergantur, quo fit ut punctis distinctum videatur. Hoc igitur in statu partes maxime aegrotantes in externa superficie colorem ex bruneo virescentem et saepe nigrescentem assequuntur, neque in inflammationis gradu majore bilis in ductibus biliariis invenitur, sed interdum serum sanguinolentum brunei coloris; membrana vero mucosa hos ductus obtegens est saturate ru-

bra. Pus nascitur in mediis illis maculis et quidem ita, ut plura puris grana, magnitudine hordeoli, non procul inter se distantia appareant. Pus sensim in unum congestum atque conjunctum in abscessibus magnitudine fabae invenitur, qui purulentum, viscidum humorem vel serosum vel lacteum flavi et virescentis coloris in se continent. Parietes hos abscessus circumdantes maxime sunt mollitae atque ex flavo bruneo colore tinctae et plerumque punctis purpureis et sanguine exsudato intermixtae cernuntur. Pus non diu in parvis sinibus moratur, cum eorum parietes corrodantur, tela eorum quasi in pus diffluente, eoque turbidum tenaciusque fit, et majorem consistentiam nanciscitur. Postremo pus inclusum est magnis cavitatibus et nigrescentem quandam materiem, quae a sanguine venosa est relicta, in se continet. Quae cavitates quum sinuosa plerumque sint, eorum ortus ex pluribus abscessibus parvis facile intelligitur. Eaedem varia ratione inter se conjunctae membrana subalba impellucida vestiuntur, ex cujus propria qualitate cl. Louis abscessuum aetatem sibi efficere videtur, cum dicat, hanc membranam in abscessibus novis esse mollem faciliusque frangendam, in veteribus vero duram et solidam.

Caput V.

Jamiam explicata formationîs abscessuum inflammationem subsequentium (praecipue autem Gendrini inquisitionibus hac in re nisus sum) nunc de ortu hepatis abscessuum, qui e tuberculis originem sumunt, nonnulla proferam. Non dubitandum est, si sententias amplorum et fide dignissimorum hominum consideras, in hepate quoque tubercula inveniri. Morand in commentatione quadam, quae legitur in Memoires de l'Academie de Chirurgie vol. II. de hepatis tuberculis jam mentionem facit, clarius et uberius de hac re loquitur Baillie, qui cum de ceteris in hepate concrementis et formationibus abnormibus loquitur, ait: Reperiuntur nonnunquam sed potius rarissime in hepate tubercula, quae pulmonum tuberculis plane sunt similia. In cadavere quodam, in quo scrophulosi vitii signa exstabant, Baillie tumorem in hepate invenit subrubrum non parvae magnitudinis, qui pus crassum continebat. Lombardi et Annesleii observationes plura tuberculorum hepatis exempla nobis exhibent. Testante Lobsteinio 1) tuberculum est corpusculum plerumque orbiculatum subalbum vel flavum vel fuscum, propria praeditum substantia, quae analogiam cum sanarum partium substantia minime ha-

1) Lobstein traité d'Anatomie pathologique t. I.

bet, et in omnibus ejus formationis gradibus ne vestigium quidem organisationis offert. Tuberculi magnitudo variatur a grano milii usque ad ovi gallini volumen. Et parva quidem tubercula formam regularem et rotundatam habent, majora sunt irregularia lobosa atque gibbera. Porro in glandulis subrenalibus, in glandula prostata, epididymide in ipsa denique ossium substantia tubercula non raro inveniuntur.

Omnia tubercula ab initio granulationes sunt, quae juxtapositione non autem intussusceptione augentur, eaque ex alia prorsus substantia constant ac ceterae partes, quae ut videtur secernitur exhalatione, non autem, ut olim putabatur, lympha stagnante, occlusis vel inviis vasis lymphaticis exoritur. In senis tuberculi partibus continentur:

albuminis	1,4
gelatinae	1,2
fibrinae	1,8
aquae	1,6

6. — (Lobstein.)

Tria omnino in tuberculorum decursu stadia observantur, primum stadium crudorum et durorum, secundum coctorum vel mollitorum, tertium stadium suppuratorum et dissolutorum tuberculorum.

Itaque primo stadio tubercula glandularum consistentiam habent, secundo massam caseo sive sebae aspectu non dissimilem observamus; tertio denique stadio massa haec est fluida lactisque cremoris consistentiam praebet. E tuberculis magis magisque mollitis dissolutisque abscessus ulcerosi formantur, qui membrana propria, quam Lobsteinus nominat pyogenique, sunt obducti, atque haec membrana tenuis, tenera rubri coloris non dissimilis est iis, quae ceteros abscessus vestiunt. In mediis tuberculis mollities primum apparet et in externas sensim partes continuatur. Abscessus parvi junguntur, eorum parietibus pure corrosis, et sic nonnunquam ingentes excavationes exsistunt. Ab his tuberculis scrophulosis, quae raro tantum in hepate cernuntur, probe sunt distinguendae indurationes illae, quas Baillie maxime in potatoribus invenit dura et inegalia, quaeque auctore illo scirrhosam hepatis conditionem constituunt. Contra Broussaei opinionem, tubercula necessarie esse inflammatione producta, plures anatomes viri peritissimi Bayle, Laennec, Gendrin et Lobstein disputant, iidem haud negant, affectionem inflammatoriam plerumque mollitis tuberculis adjungi.

Vitium scrophulosum homines reddit ad vitium tuberculosum proclives, et si formam habitumque corporis consideras eorum, quae dyscrasia tuberculosa sunt mortui, tunc invenies structuram mollem,

fibram laxam, cutem teneram formas rotundatas et carnem minus elasticam. Vitium tuberculosum ut vitium scrophulosum potest esse hereditarium. Stadium mollitici et dissolutionis plerumque adest aetate juvenili vel rarius virili, rarissime autem aetate puerili vel senili. Omnes medici in eo consentiunt, certam tuberculorum diagnosin, cum sint in primo stadio, locum habere non posse. De ipsius hepatis tuberculis nunc pauca proferam, ceteris generibus omissis.

Hepatis tubercula in universum sunt minus numerosa, in singulis autem casibus varietates numerusque eorum sunt ingentes; acervatim vel coronae instar congregata et haud raro ita in invicem impressa sunt, ut quam maxime variae inde formae oriantur. Melanosae a cl. Laennec sic dictae, sunt cl. Bonneto duce nihil aliud nisi tubercula, quae in nonnullis hominibus praesertim senibus nigro praedita sunt colore. Nec minus cyrrhosae, quas cl. Laennec describit parva corpuscula, quorum volumen nunquam milii magnitudinem excedat, et quae innumera plerumque copia congregata per totum hepar sint diffusa, Bonneto auctore sunt tuberculis adnumerandae.

Auctores plerique consentiunt in eo, tuberculum hepatis scrophulosum non frequentem esse morbum. Jam memoratum est de Baillie verbis quae de horum tuberculorum frequentia fecit. Bon-

netus haec ait: Ceterum haec degenerationis species multo minus frequens est, quam in seculo praeterito putabatur, nam quanquam hepar est intestinum illud, quod pulmonibus omentoque exceptis, frequentissime sit sedes talium formationum abnormium, concedendum tamen est, tubercula perraro in eo inveniri.

Caput VI.

Jam, pertracta historia anatomica hepatis abscessuum formationis, quae sit eorum pro magnitudine varietas, quaeque in iis contineantur inquirere et explicare in animo est. Exempla non pauca abscessuum hepatis ingentium apud auctores exstant. Morton mentionem facit hepatis abscessus, ex quo libra puris effluxit, Hazenhord libram et dimidiam puris in hepatis abscessu vidit, et Lieutaud talis abscessus contentum pus aestimavit libris duodecim. Morgagni, Valsalva, Abercrombie 1), Bourdier, Paw 2) aliique de ingentibus puris copiis in hepate repertis narrant, ex quibus Bourdier hepatis abscessum novem puris libris et Paw viginti libris refertum vidit. Totum hepatis parenchy-

---

1) Cf. Abercrombie, über die Krankheiten des Unterleibs, a. d. Engl. v. Wolff. Bonn 1822.

2) Cf. Voigtel, pathologische Anatomie, Tom. III.

ma in pus nonnunquam est dissolutum, ita ut saccus solummodo supersit, cujus parietes telae hepaticae strato plus minusve crasso lividique coloris formantur, aut solum reperitur tenuis bulla qua pus est inclusum. Pus hepaticum recens inflammatione acuta productum nil proprii habet, aliique puri bono atque laudabili aequatur 1), nisi colorem subviridem, qui certe a bilis fluidi parte admixta producitur, hepatici puris signum esse proprium existimes. In cadaveribus quinque hepaticis abscessibus mortuis, Louis quater invenit pus bonum, quod describit odore carens, subviride vel flavum et tenax. Pus ex veteribus abscessibus plerumque est decolor, vel colore hepatico vel etiam faecium vini (Petit) vel, si vasa sanguifera quaedam suppuratione sunt destructa, sordido atrove colore. Pus illud adeo corrosivum esse potest, ut nonnullorum pigmentorum vegetabilium color ab eo permutetur, et adeo nauseosum ut odor ferri plane non possit, (Portal) quod verisimile est in solis cadaveribus reperiri, cum non invenerim apud auctores, tantam nobilis organi corruptionem in viventibus locum habere posse. Consistentia puris varia esse potest; pus recens bonum crassum est seu grumosum seu pultaceum, pus vetus vel abscessuum ve-

1) Cf. Louis l. c.

terum est plerumque minoris consistentiae, serosum ac interdum limpidum.

Caput VII.

Superest, ut in hac parte anatomica vias consideremus, quas ex abscessibus hepatis pus potest ingredi, et a quibus aegrotorum sors maxime pendet. Rarum est, abscessus magnos non extra hepatis parenchyma erumpere, et post mortem inclusos in hepate inveniri. Cujus facti exemplum memoratu dignum occurrit in: Meckels Archiv der praktischen Heilkunde Tom. I. In cadavere viri quinquagenarii repertus est abscessus hepatis occultus saccatus, qui duas puris libras ad minimum continebat, et vivente homine nullis morbi cujusdam signis sese prodiderat. Si perforato peritonaeo et cuti externa pus proxima via e corpore effluere potest, apertura maxime fit inter tertiam quartam quintamve costam spuriam. Ut tumorem antehac a pure collecto productum ab hydrope vesiculae felleae seu ab abnormi bilis in vesicula fellea collectione, quae plerumque a concrementis biliariis pendet recte discernas, phaenomena praeterita et praesentia accurate mente perpendenda sunt. Si acutae inflammationis impetu fracto, tumor inter costas breves exoritur, cum simulque signa resolutionis imperfectae nec non febris suppuratoria ac

dolor premens in hypochondrio dextro adsunt, de abscessu hepatis non facile dubitari potest. Post chronicum hepatis morbum diagnosis impeditior est. Quae ut certius instituatur, id solummodo in mentem revocemus, in hydrope vesiculae felleae jam ab initio tumorem circumscriptum aequabilem et fluctuantem effici, qui saepe premendo, sive etiam vesicula fellea prorsus referta sua sponte minuitur, quum pars bilis collectae in duodenum influerit, insequentibus sedibus biliosis, doloribus colicis conjunctis 1). In hepatis abscessibus posterius hoc signum deest, verum dolor in hypochondrio dextro fortius urget, et aegrotus non potest nisi in parte dextra jacere; color cutis abscessum obtegentis commutatur, et margo durus abscessuum digitis sentitur, ac tumor quocunque modo aegrotus iaceat, idem plane manet. Eruptorum hepatis abscessuum in brevibus costis multa apud scriptores exempla laudata reperimus. E quinque aegrotis, quorum abscessus hepatis hoc in loco aperiebantur, quatuor Petitus sanavit, unum per breve sex hebdomadum spatium. Haase dua eruptornm in dextro hypochondrio hepatis abscessuum exempla profert, eosque feliciter sanatos esse dicit. Acrell 2)

---

1) Chelius Chirurgie Tom. I.
2) Voigtel l. c.

ex tumore in hypoch. dextro evacuavit libras quinque puris luridi virescentis. Portalus quoque casum sanati hepatis abscessus, qui arte apertus est enarrat. Observatum etiam est, hepatis ichorem in umbiliculo 1), inter musculos abdominis et lumborum sponte apparuisse, cujus posterioris eventus exemplum hoc est. Vir quadraginta annos natus, doloribus, qui sub musculo latissimo dorsi erant accerrimi, cruciebatur. Tumor hoc in loco ortus, cum fluctuans inveniretur, apertus est, ex quo puris ingens copia effluxit; erat autem una inferiorum costarum carie affecta. Mortui illius hominis in posteriore hepatis parte ulcus scutellae magnitudine inventum est. Pus per telam quoque cellulosam ad scapulas usque effusnm erat, pluresque ibi musculi eo destructi erant 2). Casus quidam, quo hepatis ichor in regione inguinali dextra conspiciebatur, legitur in: Richter's chirurgische Bibliothek Bd. VI."

Caput VIII.

Hepatis pus in vicina quoque cava interna effundi potest, quod cum fit, magno est aegroti pe-

---

1) Rust, theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie. T. I. 1831.

2) Sammlung für practische Aerzte IX. Bd.

riculo. Primum diaphragma a hepatis pure, si abscessus in margine convexo existat, perforari potest. Quod factum est in homine cujus morbi historiam narrat Petitus in prima observatione. Pure e tumore hypochondrii dextri arte evacuato, cum digitum in aperturam immisisset, foramen diaphragmatis invenit, quod autem molestias non attulit; aegrotus enim mox convaluit. Voigtel multos citat ex aliis scriptoribns casus, in quibus pus hepaticum in pectoris cavum pervenit. Ita quidem pus hepaticum respuendo ejici potest, ut cl. Stalpaart van der Wiel et Imbertus de Montpellier 1) cl. Hallerus, Baderus, Nicolai aliique observarunt 2). Attamen exitus plerumque lethalis est.

Caput IX.

Pus hepaticum duabus viis in canalem intestinalem pervenire potest, aut per ductum choledochum, aut perforatione ventriculi, coli, jejuni vel duodeni, adhaesione primo inter hepar ceteraque haec organa perfecta, Eiicitur his in casibus pus aut vomitu aut una cum faecibus alvo, et odorem tunc maxime nauseosum spargit. Sic Garnettus 3)

---

1) Cf. Gendrin l. c.
2) Voigtel l. c.
3) Medical Commentaries by Duncan Tom. III

tumorem vidit hepaticum, qui evacuatis per alvum libris sex ichoris sanguinei, prorsus evanuit. Observati quoque sunt a Voigtelo aegroti duo, qui hepatico pure vomitu vel sedibus eiecto, convaluere. Petitus visitabat aegrotum, hepatis abscessu verisimile laborantem, quem dicit bene habuisse, si ichorem sedibus emisisset, ventris autem tormentis, frigore et agrypnia esse vexatum, dummodo ichor non consueto modo effluxisset; quod quidem per annorum decem et quinque accidit. Abscessus si in hepatis parte inferiore maxime in lobo medio adsunt, interdum, ut Coiterus, Hallerus, Lieutaudus aliique observarunt, versus ventris cavum aperiuntur, effusique plerumque subitam mortem afferunt. Rarius tamen hoc evenire videtur, cum hepatis pars morbosa plerumque cum vicinis organis concrescat. Concretiones cum colo frequentissimas praeter alios idem Petitus observavit. Narrat is, hominem, qui hepatis abscessu laboraverit, pus quinque annos per alvum ejecisse, frequentibusque per id tempus torminibus vexatum esse, liberatumque esse quodam tempore doloribus, quando per alvum materiem tabidam quandam ac purulentam emisisset. Cujus cum sectum fuerit cadaver, colon cum hepate concretum perforatumque adparuisse. Casus alter huic simillimus apud Petitum legitur, quem mitto. Gendrinus accidisse narrat, ut cum sinistro hepatis lobo per abscessum ventriculus concreverit, hinc vesicu-

lam felleam jam plane absumptam; lobum dextrum vero cum colo junctum fuisse.

Abscessum lobi dextri, cuius diametros digitos fere tres expleverit, pinguedineum ceraeque similem cholelithum continuisse, cujus superficies passim membrana spuria obducta fuerit, qualis in pulmonis cavis purulentis interdum reperiatur. Memorandum hoc loco etiam id est, quod venae majores pure adedi possint, unde sanguinea interdum ac mortifera diarrhoea oritur. Exemplum hujus rei Louissii observationum tertia praebet. Litterarum studiosi, annos nati viginti et duos, qui alternis sanguinea serosaque diarrhoea, ictero doloribusque dextri hypochondrii laboraverat, quum secaretur cadaver, praeter intestinorum crassorum ulcera hepar pro more paulo durius, multisque luridis subrotundisque maculis quasi pictum repertum est. Maculae, quarum diametri longitudo 5 — 8 lineas efficiebat, subviride luridum lentumque pus continebant. Praeterea ulcera purulenta etiam majora, quorum magnitudo nucem fere aequabat, inque illis et intestinis sanguinis effusi decem ad duodecim pondo apparuerunt. Multum sanguinis ventriculus ille perforatus et intestina, quorum exemplum supra exhibui ex Gendrini observationibus, continuerunt.

Restat nunc, ut de hepatis cicatricum formatione dicam. Quam rem etsi haud levis sane mo-

menti sit, sriptores tamen minus curasse video. Pendet enim quaestio ex hac re, hepatis abscessibus utrum mederi possis necne. Louisius dicit in hepatis parenchymate cicatrices nullas reperiri. Portalus etsi raro, tamen cicatricum quandam in hepate formationem esse statuit. Hepatis abscessibus quorum facta fuerat incisio in hypochondrio, vel pus per os alvumque emissum, plane prospero cum eventu medicinam esse adhibitam, non est quod dubitetur. Vel necesse igitur est, illud si factum, revera ductam cicatricem esse. Quid enim? si reperiuntur in ipsis pulmonibus cicatricum ductus, qua de causa easdem fieri posse in hepate negemus? Hepar in superficie laesum prosperam sane medicinam admittit. Atque haec nonne obductione cicatricis efficitur? Petitus quidem cujus singulari simplicitati fides habenda est, hanc rem extra omnem, opinor, dubitationem ponit. Is enim hominis, qui, dum vivebat, hepatis laboraverat abscessibus, apertione autem sanatis, mortui obductione instituta hepatis duram impressamque cicatricem (cicatrice ferme et enfoncée) reperit. —

Verum de his satis esto, prostat altera pars nosologica, quam ne ad nimiam libellus amplitudinem crescat, concisius pertractare constitui.

Pars nosologica.

Cap. X.

Initium ab hepatitide acuta faciamus. Est enim haec res ita comparata, ut nisi vivam et explicatam illius imaginem tibi informaveris, ne id quidem, quod illam sequi potest, dico apparatus biliosi suppurationem probe pernosci liceat. Indicia acutae hepatitidis, quae vulgo statuunt auctores Bonnetus non ad ipsam hepatitidem, sed ad morbi statum quendam complicitum, quem Gastro-hepato-peritonitidem dicit, cujus ventriculus et peritonaeum haud minus particeps est, pertinere vult. Hepatitis enim, dummodo satis effloruerit, nunquam est, quin et ventriculum et peritonaeum quodammodo inflammatum in suas partes vocet, cumque illis quasi commercium agat. Indicia compliciti hujus morbi graviora fere haec sunt. Est dolor modo obtusus, modo penetrans et acutus hypochondrii dextri vel regionis epigastricae, qui impressione facta augetur, quin ad ipsum humerum et scapulam fit ut propagetur. Aegrotus lateri maxime dextro incumbere solet; respiratio molesta, qua pectus dextrum non juste extenditur, tussis, sitis ardens, gustus amaritudo, nausea, vomitus, ciborum

fastidium, lingua media subviride lurideque obducta, alvus adstricta, excrementa albida, pulsus febrilis durusque, cutis languide ardens, oculorum cutisque color saepe luridus, urina crocea, rara, oleosa cum sedimento latericio observantur. Jam dolor altus ille et obtusus ex hepate, acutus et penetrans e peritonaeo proficiscitur. Atque haec si adparent symptomata, haud facile in hepatis morbi dijudicatione locus errori erit. Verum, si quod saepius accidit, alterutrum deest indiciorum, veluti dolor dextri hypochondrii, res difficilior est. Is enim, ut ex aliis quoque pendere causis potest, ita ceterorum indiciorum nullum est, quod cum morbo alio non conveniat. Idem ex omni parte de hepatis abscessibus valet, quorum dijudicatio aeque difficilis est. Praeter similitudinis speciem enim nemo in plerisque casibus statuere quidquam pro certo poterit.

Namque quo formantur tempus admodum varium est. Fieri potest, ut jam prima hebdomade oriantur abscessus, post plures autem annos etiam acutam hepatitidem subsequuntur. Suspicio orientis hepatis abscessus vera esse videtur, si sub finem primae et secunda hebdomade, sudore alterno succedente frigoris horrore, si palmarum ardor, magna sub vesperam exacerbatio, et gravitas vel premens quid ab aegroto in hypochondrio sentitur. Casus quidam, ubi abscessus post hepatis laesionem exter-

nam orti sunt apud Bonnetum leguntur. Ceterum hoc etiam notandum est, homines juniores ac viros frequentius hepatis abscessibus laborare, quam aetate provectiores ac foeminas. Interdum hepatitiden acutam etiam cerebri morbosa quaedam conditio sequitur. Quae cum ex meningis inflammatione proficiscatur, celerem mortem adfert. —

Utrum pus in hepate ortum aut resorberi et in vesicam surasque effundi amoverique possit ex hepate nec ne hucusque dubium est. Experientia vera in his rebus sola docet moiorisque facienda est contentionibus vanis. Itaque ego non dubitabo, quanquam ubi observationi hujus rei locus concedatur, casus fortasse rarissimi sunt. De aetiologia ceterisque hepatitidis exitibus quaestio hoc loco mihi praetermittenda, jamque ad aliam formam, hepatitidem chronicam transeundum mihi videtur.

Cap. XI.

Hepatitis chronica non minus ac acuta attentionem nostram commovet, cum hanc quoque hepatis abscessus subsequantur. Primum oriri ea potest ex hepatitide acuta, ubi de diagnosi dubitari non facile potest, tum vero haec etiam, etsi inflammatio acuta non antecessit, morbi idiopathici ratione occurrit, qui ortus, ut Bonnetus dicit, frequentior est. Non est hujus loci, uberius enumerare chronicae haepatitidis ex acuta hepatitide or-

tae phaenomena; symptomata enim in universum eadem adsunt, sed minori gradu, et magis magisque gastritidi ac peritonitidis signa evanescunt. Hepatitidis chronicae idiopathicae signa nihil singularis ac memoratu digni nobis offerunt, cur initio hepatis pathema minime suspicandum est. Hepatitis haec chronica maximam partem in iis hominibus invenitur, qui hypochondriacis, digestionis assimilationisque apparatus diversis affectionibus, febribus intermittentibus diurnis et constitutione atrabiliario laboraverunt, et qui vitam agunt sedentariam. Ex quibus ut aegrotam hepatis conditionem conjicias, necesse est alia symptomata pathognomonica accedere, scilicet dolores repentini in hypochondrio dextro, per intervalla aegrotum vexantes, qui per aliquot plerumque temporis momenta, vel ad maximum per quartam horae partem perdurant, et tum omnino evanescunt. Luridus lividusque faciei color observatur, porro dolores in regione epigastrica, qui sensim praecipue ante prandium augentur, in ipsa coena intermittunt, digestione vero exacerbantur. Quo tempore alia depravatae digestionis signa luculentiora adsunt. Lingua praecipue muco ex flavo-fusco obtecta est, fastidium ciborum, eructatur aegrotus materiem mucosam amaramve, interdum vomitu plerumque vero alvo adstricta et flatulentia laborat. Facies ejus tristitiam moeroremque indicat, et ex oculis

splendor ille sanorum hominum evanescit; conjunctiva bulbi lurida conspicitur, et mens aegroti affectibus facile agitatur. Quare Chisholm ait: In hominibus hepate laborantibus, phaenomena sunt frequentissima animi deiectio, capitis gravitas, omina mala, timor mortis poenaeque ac scrupuli religiosi. Mirandum est certe, quam facile hac conditione mens ardore pio quodam fanatico atque mystico excitetur; tristissimae tum imagines ante oculos veniunt, etiamsi aegrotus vitam egerit rectam honestamque. Quod ad hujus morbi diagnosin, maximi momenti sunt dolores ii, qui in hypochondrio dextro, epigastricaque regione sentiuntur, qui sensim graviores atque frequentiores fiunt; sunt hi plerumque obtusi et sensu quodam gravitatis conjuncti, attamen interdum sunt acuti et in pectus scapulamque dextram vertuntur, quod tamen signum posterius non ita constans est, ut plerumque putatur. (Louis, Bonnet.)

Exploratio abdominis manualis non est hic negligenda; ut autem certa inde morbi dijudicatio existat, non solum, si erecte stat, vel etiam si jacet aegrotus , et in casibus dubiis, in omni corporis positione est instituenda. Per se patet, aegrotum in hac exploratione doloribus cruciari. Tumens vero plerumque hypochondrium dextrum invenitur, heparque ipsum volumine auctum, interdum durum, et digitos duos tresve infra costas

spurias inferiores prominens; nonnunquam etiam protuberantiae et gibbi in ejus superficie deteguntur. Notandum insuper est, respirationem paene semper esse perturbatam; tussis nempe adest sicca, quae acriores dolores reddit, et dextra thoracis pars inspiratione non juste dilatatur. Respirationis molestiae eo augentur, quod aegrotus in sinistro solum latere jacens somno frui potest. In hoc rerum statu urina est crassior oleacea et crocei coloris, pulsus duriusculus frequens et corporis macies in dies augetur. —

Cap. XII.

Haec sunt hepatitidis chronicae signa, quacum vitia organica varia jungi possunt. Si vero abscessus formetur, nisi abdominis musculi destruantur, aut ichor ore alvoque ejiciatur, de eo conjectura nulla est, etsi in plerisque casibus signa fiunt graviora. Si diaphragmate pleuraque perforatis, pus per os ejicitur, abscessus hepatis diagnosis in casibus nonnullis non ita facilis est, in plerisque autem casibus, si signa praeterita et ichoris natura reputentur, parum difficilis. Si aegrotus praegressa inflammatione hepatis acuta seu chronica, aut vomitu aut sedibus ichorem emittit, verisimile maxime est, hepatis abscessum adesse, cujus pus ad ventriculum vel intestina pervenit; et ita etiam est, si sanguis ater vomitu vel alvo ejicitur, quo casu vasa sanguifera hepatis ichore adesa sunt. Fluxus hepaticus in hepatis pathemate vel in hepatis ab-

scessu focum habere potest, quod est verisimilius, si acutus hepatis morbus praeivit. —

Prognosis hepatis abscessuum in plerisque casibus est pessima, etsi exempla exstant, per multos annos aegrotos alvo ichorem evacuasse. Plerumque autem si ad summum destructio hepatis pervenit, ascites nascitur, quo vita aegroti terminatur. De ceteris abscessus hepatici exitibus jam dictum est.

Vitia hepatis organica, quibuscum abscessus hepatici conjunguntur, varia esse possunt. Frequentissima est magnitudo hepatis adaucta, rubor saturatior, mollitiesque ejus telae, concrementa biliaria, vesicula fellea constricta, adhaesiones hepatis cum diaphragmate, peritonaeo, ventriculo, colo, atque horum intestinorum perforationes. Verisimile est in nonnullis casibus abscessus hepaticos concrementis biliariis et induratis aliis intestinis, quae chronicam inflammationem induxerant, esse ortos.

Causa hepatis abscessuum proxima nonnisi ex praegressa inflammatione acuta vel chronica vel e tuberculis petenda est, cum concedendum minime sit, hepatis parenchyma subito vel puncto temporis in pus posse permutari; sic capitis laesiones, quae abscessus hepaticos producunt, statum infiammatorium hepatis adducere necesse est. Bonnetus contendit, hepatis abscessus eos, qui capitis laesiones insequuntur, tunc solum oriri posse, si tubi intestinalis irritatio inflammatoria anteierit; quod esti in nonnullis casibus ita se habeat, concludi non potest, hanc tubi alimentarii irritationem semper prius adfuisse.

Vita.

Natus sum anno MDCCCX, fidei addictus catholicae, Geilenkirchii, vico prope Aquisgranum, ex parentibus Joanne Petro Dick, notario publico, et Johanna, e gente Cornelia, quorum integra adhuc fruentium valetudine et memoriam colere gratissimam, et benevolentiam summam erga me, quantum fieri poterit, remunerari maxime nunquam desinam. Domi primis, quibus excoli puerorum mens et animus solet, historiae, mathematices, linguae et Latinae et Graecae ceterarumque elementis institutus, aetatis anno decimo quarto traditus sum gymnasio, quod Collegii Iesuitarum Coloniae est. Ubi postquam unum peregi annum, quo classem tertiam et secundam inferiorem frequentavi, profectus Bonnam ibique examinatus hujus oppidi gymnasii classi secundae adscriptus sum. Postannum unum vero et dimidium domum redii, ac proprio ibi per anni dimidii spatium ad exercenda studia academica Marte instructus, Bonnaeque maturitatis inde testimonio secundae classis donatus, semestri aestivo anni MDCCCXXVII a Rectore Universitatis Rhenanae Borussicae Magnifico Noeggerath inter cives academicos acceptus, et in illustris Medicorum ordinis Album a Decano spectabili Nasse inscriptus sum. In alma igitur hujus Universitatis sede per duos continuos annos viros doctissimos clarissimos disserentes audivi: Cel. Nees ab Esenbeck de botanice, Cel. Bischoff de chemia experimentali et recentioris chemiae historia, Cel. v. Calker de logice, Cel. Weber de Osteologia et arte fascias rite imponendi, Cel. Harless de

medicinae methodologia et materia medica, Cel. Mayer de anatomia nec non de anatomia et physiologia foetus Cl. Müller de medicinae encyclopaedia atque methodologia, de pathologia generali et semiotice, Cl. a Münchow de physice experimentali, Cl. Heinrich de Taciti annalibus, Cel. Goldfuss de Zoologia et Zootomia, Cel. Noeggerath de mineralogia, Cel. Naumann de morbis infantum. His igitur auditis praelectionibus superatoque examine philosophico annum dimidium propter causas quasdam gentilicas domi transegi. Autumno vero anni MDCCCXXIX Berolinum profectus, postquam Rectore Magnifico Hegelio et Decano spectabili Wagnero civium academicorum numero rite adscriptus fui, per semestre, Rustii V. illust. lectionibus chirurgicis atque clinicis Ill. Bartelsii therapeuticis, et Ill. Graefii exercitationibus clinicis auscultans interfui. Quo tempore cum satisfaciendum rei militari esset, examinatus, apud cohortis praetoriae partem eam, quae rem tormentariam administrat, Cal. Maiis munus chirurgi publici suscepi. Verum enim vero per duo semestria subsequentia neque preelectiones hac de causa neque exercitationes clinicas tanto studio, quanto fas est mihi licuit frequentare. Cel. Sundelini exercitationibus clinicis medicis ipse artem exercens per annum, Graefiique iisque exercitationibus chirurgicis atque ophtalmiatricis iterum auscultans interfui. —

Iam tentamine medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione hac thesibusque adjectis palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores mihi concedantur.

Theses.

1.

Vis lunae in hominum morbos minime neganda.

2.

Pus hepatis recens bonum atque laudabile.

3.

Syphilis prius in aliis terris fuit quam in Europa.

4.

Morbi pulmonum in zona tropica frequentiores sunt quam in zona frigida.

5.

Cornea nervis vasisque gaudet.